

Justus Brawe    Valentinus Stacius

## **De Constitutione, Et Divisione Pneumatologiae Disputatio I.**

Rostochii: Kilius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72946413X>

Druck    Freier  Zugang



Ru phi 1638.

Justus Braue

Valentin Stak (ins)



*Auspice* CHRISTO  
D  
CONSTITUTIONE, ET DIVISIONE  
PNEUMATOLOGIÆ  
DISPUTATIO I.

Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ  
Rostochianæ,  
*Præside*


M. JUSTO BRAWEN Osnab. West.

à  
VALENTINO STAKIO Soldinense  
Neomarchico RESPONDENTE,

*Proposita*

Ad diem 31. Januarij horis antemeridianis.

*In Auditorio majori.*



ROSTOCHJ,

Literis NICOLAI KILII, Academ. Typogr.

ANNO M. DC. XXXVIII

ANNO 1710

CONSTITUTIO  
NE ET DIVISIONE

Consensu Amplissimi

M. Justo Bravio Ordini

VALENTINUS

Altera et Junius

ANNO 1710


PRÆSTANTISSIMO ET DOCTISSIMO

*Dr. Respondenti.:*

**P**neumata qui non vult Sophiæ sociare, quid inde?  
Hic novitatis amans anne vocandus erit?  
Verum est antiquum, novus is cui rodere verum  
Scommatibus labor est; scommata nil oberunt.  
Scommata nil quidquam præ se fundamini, et si  
Applausu insipidorum excipiantur, habent:  
Quin tantum risum doctorum, haut æra merentur,  
Crede mihi, Doctum sympathiamq; cient.  
Hinc quis non studium, quis non laudaret amorem, &  
Ardorem Veri? quis? nisi qui stolidus.  
Perge VALENS, fructus Musarum ponè sequentur,  
Et doctus doctis annumerandus eris.

currenti calamo l.mq; ponebat

M. JUSTUS BRAWE



**S**taki, Pneumaticam cupis probare  
Nervose in Cathedra: Tuos secundet  
Actus Jova, Favonioq; sacro  
Te semper regat, ut queas viritum  
Proffigare strophas tibi obviantes,  
Et prodesse Deo, tuis amicis,  
Et toti patriæ, his precor phaleucis?

Sympatriotæ & amico verè suo f.


PETRUS WREGIUS

Prentzloâ-Marchicus.

Quem

**Q**uem de Spiritibus non delectatq; juvetq;  
multa putare animo, scribere, dicta dare?  
Spiritus est, qui nos fecit spirare, Creator,  
cunctaq; queis vite Spiritus altor inest;  
Spiritus est, qui nos animat, vegetatq; fovetq;  
Ne, simul ac cœpit, corpus inane cadat;  
Spiritus est, qui nos natos in fonte renasci  
sacrato verbi vi penetrante facit,  
Spiritus est, qui nos noctesq; diesq; malorum  
à lernâ tutos præstat Sincolumes;  
Spiritalia item vult Spiritus almus **FOVÆ**  
ut sint in nobis senfa, loquela, labor;  
Spiritalia erunt olim quoq; corpora nostra,  
In vitam Christus cum revocabit ea;  
Spiritalia erunt tunc, qua dicemus, agemus,  
aut qua mens capiet pensiculanda sibi.  
En quàm Spirituum nobis sint omnia plena!  
Spirituum quem non noticia ergo juvet?  
Tu laudem præ aliis hîc, sympatriota, mereris,  
Spirituum quoniam cognitione Vales,  
Nec non jam doctas audire reddere voces  
hac de materiâ mens tibi, dante Deo.  
Ausis grator ego, de vote corde vovendo,  
Fructus ut inde tibi cedat, honorq; Deo,  
in benevoli affectûs περὶ μὲν εἰς fec.

**JOACHIMUS Brückel**  
Nôriberg-Neomarch,



# IN NOMINE JESU: PNEUMATOLOGIÆ

## Sectio Præmialis,

*Quæ exhibet sub notione confusâ, melioris cognitionis & facilitatis ergo naturam disciplinæ & in sese, & in partibus: ibi inquirendo in ejs tum existentiam, quæ probatur, tum essentiam, quæ spectatur 1. ad intrâ & exhibet ejus naturam vel totaliter definitionem dando, vel partialiter, Genus & Differentiam specificam explicando; 2. ad extra & inquiri causas externas. Efficacitatem & finem: hic in legitimam ejusdem partitionem: De singulis, auspice Christo, distinctis theorematibus, quorum sit*

DISP. I.

PUBL.

Resp.

VALENTI-

NO STAKIO

Sodino

NeoMar-

chico.

I.

**D**atur disciplina de Spiritibus peculiaris & distincta, distinctim proponenda, quæ vocari potest Pneumatologia.

Memb. I.

De Consti-

tutione

Pneumat:

Non tam hic disquiritur, num de Spiritibus quædam detur notitia seu scientia, quam præter consensum omnium Philosophorum evincit ratio objecti, quæ omnino sub cognitionem naturalem cadit, quam num disciplinam poscat Spirituum natura & consideratio peculiarem, quod suadet tum objectum proprium distinctum ab objectis aliarum disciplinarum ea distinctione, quæ sufficit ad diversas disciplinas constituendas, & est formalis. Non enim disciplinarum objecta perpetuò distincta sunt realiter, eò quod res considerata, seu materiale in multis conveniat, sed formaliter, seu modo considerandi diverso (vide Thomam part. 1. Quæst. 1. a. 1. qui diversam rationem cognoscibilis diversitatem scientiarum inducere, asserit) quod & nostra cum reliquis commune habet, cujus objectum (Spiritus) distinguitur per formalem rationem (quatenus est Spiritus lumine naturæ cognoscibilis) ita ab aliarum disciplinarum objectis, ut sine insigni confusione ad ullam disciplinam hanc referre non liceat: tum Metaphysice dictamen, quod objectis disciplinaribus modum præscribit, & sic etiam nostræ, quam unâ cum aliis suis bonis privare nec potest, eò quod sit universalissima & ratione latitudinis objecti, & ratione abstractionis secundum indifferentiam, adeoq; ad specialium rerum essentiam cognoscendam minimè se demittat, quod præter Aristote-

A

lem



lem 1. Met. 2. testatur Dn. D. Jac. Mart. Met. Ex. 2. l. 1. th. 9. adeoq; Entia immaterialia sub ejus abstractione ( quæ est objecti in statum objectivum provecio, minimè verò ejusdem formalis ratio, quod tamen illi dicere videntur, qui adæquatam rationem disciplinæ discernendi abstractionem faciunt ) non continentur; nec debet, ex tenore legum, quem objectum Ens quâ Ens, quod innuit summam abstractionem, & negat descensum ad inferiora, præfigit. Quin itaq; *peculiaris disciplina* in qua natura Spirituum exhibeatur, detur, quum nullius disciplinæ pars in esse objectivo sit hujus consideratio, quapropter nec Metaphysicæ, quod ea Ens quâ Ens, ejusdem affectiones & modos minus abstractos subsistentiam & inhærentiam cum determinatione objectorum disciplinarum inferiorum exhibeat, specialia inferioribus relinquat. Quin in speciali disciplina distinctè proponatur ad evitandam confusionem matrem omnium errorum, præsertim quum *objecti exigentia* ( cui minimè reclamationis auctoritas Philosophorum antiquorum, Aristotelis & aliorum, tum quod ille cum aliis perpauca ex lumine rationis de Spiritibus habuit cognita, quæ vix ad peculiarem disciplinam constituendam sufficere videbantur, tum quod fortè inter scripta Aristotelica temporis injuriâ perdita, tractatum de spiritibus conscriptum, cui fidem facit Cicero citans l. de Nat. Deorum dicta de divinis rebus ex Aristotele, quæ tamen nullibi reperiuntur exhibuerit ) imò & *nobilitas summa*, puta objecti, non usquequaq; modi versandi circa objectum, id efflagitet, quæ secundû analogiâ reliquarum disciplinarum ab objecto denominationem & appellationem participantium *Pneumatologia*, quod sit  $\lambda\omicron\gamma\textcircled{C}$   $\omega\epsilon\iota$   $\tau\acute{\epsilon}$   $\pi\upsilon\epsilon\upsilon\mu\alpha\lambda\textcircled{C}$  vel *Pneumatica* spiritualis doctrina, seu scientia de Spiritibus nomine proprio dicatur, quâ si & *Theologiam naturalem*, eo quod potissimû de divinis seu excellentibus rebus, vel quod de Deo objecto hujus disciplinæ dignissimo agat, appellare velis, per me licet: ubi res enim constat in nominibus sumus faciles.

2. *Pneumatologia est scientia, Spiritum quatenus lumine rationis cognoscibilis, contemplans.*

Posse hanc nostram definiiri, nullus dubitare poterit, sed quomodo definienda, non ita facile patet. Nos jam datam præ aliis amplectimur, habitus indolem ritè explicantem, in quâ tum *subjectum* tum *prædicatum*.

*prædicatum* notamus; *circa illud*, noto, omnes æquivocationes remo-  
 vendas esse, v. g. quod possit *generaliter* lumi pro eâ doctrinâ Spiritu-  
 tum, quæ & ex lumine rationis & ex lumine revelationis hauri-  
 tur, *specialiter* pro eâ notifiâ spirituum, quæ vel ex lumine naturæ,  
 vel ex lumine scripturæ provenit, *Specialius* pro illa scientia tantum  
 quæ ex libro naturæ constat, quæ significatio hujus est loci; *Circa*  
*hoc*, puta *prædicatum*, observo *conceptum* tum *genericum*, tum *speci-*  
*ficum*, *illic* voce scientiæ, *hic* reliquis definitionis verbis exprimitur,  
*is* vice formæ est, *hic* materiam quasi in se continet, at merè analo-  
 gicè, *illic* formam Pneumaticæ, unde manat operatio propria indi-  
 cat, quæ est *contemplari Spiritum quatenus ex ratione cognoscibilis*, *hic*  
*cum subjectum* Pneumatologiæ, quod est *mens*, seu *animus*, non *liber*  
 qui nequam scientia est instructus, eo quod non denominetur  
 à suo subjecto, quod tamen requirit Aristoteles lib. Cat. cap. de  
 Subst. nec essentialiter Pneumaticam continet, tum *objectum* in-  
 nuunt, quod est *Spiritus lumine rationis cognoscibilis*, quo omnia ea quæ  
 ad objectum spectant, sive sint *attributa* sive *modi contractiones* Spi-  
 ritus, innuntur; objecti siquidem exacta perolutio minimè esse  
 potest sine iis quæ ad integritatem ejus facere videntur.

3. *Conceptum communem, seu genericum exhibet nobis  
 scientiæ.*

Genus enim uti Logici norunt, dat omnem essentiam subjectæ  
 speciei, sed sub ratione confusâ. Hinc quodcumq; essentiam sub notio-  
 ne minus distincta non dat inferiori, id minimè genus esse poterit. Absur-  
 dè itaq; *Systema præceptorum* aut *disciplinam* vel *doctrinam* aliquis  
 genus Pneumatologiæ constituet, eo quod *illud* sit accidentale di-  
 sciplinæ genus verò essentialitè sit speciei oportet, *hec* verò (discipli-  
 nam & doctrinam volo) quum relata sint, disciplinaris verò habi-  
 tus absolutum prædicamentum qualitatis occupet, nequam ge-  
 nus exhibent; non enim essentia habitus absolute considerata in-  
 disciplina vel doctrina consistit, ut ut *medium quoddam assequendi ha-*  
*bitum* hunc vel illum clueat. Quin potius *genus proprium* ad saltim  
*remotum* ponatur *habitus*, eo quod sit *perfectio potentia naturalis, quæ*  
*facilitat*, studio solerti comparata: quum verò alius sit *Theoreticus*  
 circa res necessarias cognoscendas versans, alius *practicus* circa con-  
 tingentes, *illum genus propinquius* Pneumatologiæ constituimus,

nihil enim quidquam reperitur quod praxin requirat, sed omnia ultimatè ad cognitionem tendunt, in eaq; subsistunt; proximum deniq; genus statuitur *habitus Theoreticus discursivus*, per rationes à priori (sive illæ sint causales propè dictæ sive non) proximè è subjecto & immediatè fluentes & præcognitas, demonstrans de objecto suo necessario, determinato & præcognito, attributa essentialem nexū cum subjecto habentia, conceptu vel re posteriora, rationemq; se priorè, per quam inesse subjecto, sive illatio sit causalis sive non, dicant, supponentia, & uno verbo dicitur *scientia*. Hanc genus esse Pneumaticæ probatur inde, quod de eâ prædicatur essentialiter inquit, at non reciprocè quòd Logicæ requirunt ad prædicationem generis de specie: essentialiter n. scientia prædicatur de Pneumatologiâ, eo quod Pnèum. habeat ea quæ scientiam constituunt, nempe objectum necessarium, determinatum à disciplinâ superiori, Metaphysicâ, de quo per rationem, proximè è subjecto fluentem (qualis hic est Spiritualitas) itemq; alibi præcognitam, probat attributa, posteriora objecto nò ubivis re, sed in plurimistantum conceptu, at nexum essentialem cum eodem habentia. Hæc enim ad rationem scientiæ sufficere probatur in disciplina superiori Gnostologiâ, adeo ut tantum de materiali hujus vel illius scientia sit, habere subjectum, de quo per principia causalia demonstrantur affectiones realiter distinctæ, non n. hæc requisita conjunctim omnia in illis scientiis, quæ tamen ex concessione omnium veræ scientiæ rationem participant, reperiuntur. In Arithmetiis sanè nò sunt principia causalia numeri, eodè modo & in Geometricis non est principiū causale magnitudinis. Essentialè itaq; est omni scientiæ propriè dictæ, id est, discursivæ, habere conclusiones visibiles non in & ex se sed in & ex alio (NB. alio quod generalitatem innuit) dicit Cajetani *nota ad Quest. 1. art. 2. Thomæ*. Sic in Metaphysicis (ut ut eam scientiam non dicam) vera habes attributa, at non distincta realiter à subjecto, similiter & hic loci in Pneumatol: Sic probatur non rarò affecti de subjecto, non semper per causam rigorosè dictâ, sed per rationem quandam à priori v.g. quando de magnitudine probatur quod sit divisibilis, quia est extensa, hic extensio & divisibilitas se invicem consequi dicuntur, ut ut nò distinguantur realiter ut causa & causatum. Pneumatologiam itaq; essentialiter esse scientiam eamq; non subalternatam ob de-

ob defectum requisiti subalternata, quod est differentia accidentalis, sed absolutam, vidimus, quod verò eadem cum *scientiâ reciprocatâ*, id non permittit chorus scientiarum aliarum, qui æquè ac hæc nostra imbibit naturam scientiæ. Hinc promptè inferitur Pneumatologiam non esse *Intelligentiam*, tum quod hæc circa res inter se ipsas collatas versetur, illa verò circa Spiritus naturam & attributa; tum quod intelligentia principia formaliter ad objectum revocata expendat, Pneumatol. verò ex rationibus quibusdam inferentibus iisq; ortis, & applicatis eliciat conclusiones. Deinde Pneumaticam non esse *Sapientiam* quæ est habitus principiorum simul & conclusionum universalissimarum: At verò Pneum. si quæ habet principia, illa orta sunt, conclusiones determinatæ sunt quidditatis. *Prudentia* vero & *Ars*, quum actionem & effectum intendant, ita sunt contra naturam nostri habitus, ut toto quasi genere ab eodem distare videantur.

4. *Objectum Pneumatologia, quod est Spiritus quatenus lumine rationis cognoscibilis, conceptum exhibet specificum.*

Disciplinis Theoreticis modum præscribit Objectum, ad quod referenda sunt omnia seu *directè*, seu *indirectè* eo spectantia, quod sive dicas *ἀντικείμενον* h. e. objectum ex r. de anima c. r. t. 10. seu *ὑποκείμενον γένος* subjectum genus ex r. Post. c. 7. 8. (modo non intelligatur *subjectum inhesionis sed tractationis*) per me licebit, sit modo *objectum illud speculabile seu contemplationis*, quod aliàs *objectum demonstrationis* (in scientiis verè quidem, at minus congruè insipientiâ & Intelligentiâ) dicitur. *Objectum* vero disciplinæ Theoreticæ *duplex* esse potest, *contemplationis & considerationis*, illud quod *directè* ea pertractat, quæ sive per modum principiorum, sive affectionum, sive specierum id respiciunt, adeoq; est vel *totale* quod totam latitudinem objecti exhaurit, vel *partiale* quod est pars objecti totalis, sub quâ comprehenditur *perfectionis objectum*; hoc ad quod ea quæ *directè* locum non habent in illâ disciplinâ, puta *opposita*, si possint cognosci, nec peculiarem disciplinam constituent, aliàs ad illam referantur, reducuntur. Quum itaq; in hæc nostrâ disciplinâ ea non videantur occurrere quæ per modum oppositorum cognoscibilium huc revocari possint, quippe quod Spiritus oppositum, puta *corpus*, quia totale subjectum est, exigens peculiarem disciplinam

nam huc trahi non possit, misso objecto considerationis expende-  
mus *contemplationis objectum* quod Pneumaticæ *differentiam specifi-*  
*cam* examissim nobis exhibebit. Quum verò non quævis ratio  
communis objecti exhibeat distinctionem disciplinarem, eò quòd  
illa possit, plurimis disciplinis esse communis, quemadmodum res  
aperta est in conceptu illimitato Entis, imo homo quum & possit  
esse sanabilis, & beabilis moraliter, & beabilis Theologicè & cor-  
pus naturale, sub laxà illà ratione non constituit disciplinà: dicen-  
dum quòd formalis uniuscujusq; objecti ratio ad constituendos  
cujusq; discipline terminos, eamq; adæquatè mensurandam exigat-  
tur. Hinc *objecti nostri contemplabilis diversa oritur consideratio*, alte-  
*ra materialis, formalis altera. Materiale seu res considerata est conce-*  
*ptus Spiritus*; præter disciplinam nostram communis Theologiæ.  
Quum verò *Spiritus* vocabulum æquivocum sit, objecti verò ratio  
æquivocationem non ferat (unitatem enim obtinere debet, eamq;  
*non simpliciter individuum sed tantum ordinis & aggregationis*, quæ  
ad scientiam sufficit) removenda erit omnis amphibolia. Sumitur  
*Spiritus* 1. *Physicè* & notat spiramentum, vel ventum, vel auram, sic-  
que corporeum quid est, de quibus inferius. 2. *Oratoriè*, & est pe-  
riodus numerum quatuor membrorum excedens. 3. *pro substantia*  
*materiæ experti* seu incorporeâ, quæ vel ex lumine gratiæ, vel natu-  
ræ cognoscibilis; posteriori hoc modo spiritum esse objectum  
Pneumatologiæ asserendum, si per formalem rationem restringa-  
tur. *Formale* itaq; seu *modus considerandi* Pneumatologiæ est *Spiri-*  
*tus quatenus lumine natura cognoscibilis*, quò non tantum distingui-  
tur ab eâ consideratione Spiritus, quæ ex sacris literis petitur, sed &  
modus quousq; progressus fieri debeat præscribitur, nimirum ut  
Spiritus quatenus Spiritus est, & Spiritus quatenus lumine rationis  
indagari potest, contempletur. *Duo* itaq; *hic notanda circa formale*  
veniunt. *Explicatio* rò **QUATENUS**: sumitur *id*, quemadmo-  
dum notissimum est, dupliciter, *reduplicativè* seu *causaliter* & no-  
tat subjectum in se continere causam vel conditionem sine quâ nõ  
prædicati. v. g. homo quatenus animal est, sensitivus est, id est ani-  
ma est causa formalis per quam homo est sensitivus, agens quate-  
nus tangit, movet, nam approximatìo per contactum non est cau-  
sa motus, sed tantum conditio sine qua non: hujus acceptionis ex-  
plicatio

placatio fieri potest per Conjunctionem causalem **QUIA**: *specificative* vel *determinative*, & significat certam speciem, aut partem, aut modum, aut rationem, secundum quam predicatum subiecto aliàs latè patenti convenit, v. g. homo (qui multas partes habet) quatenus nasum habet (id est secundum nasum) est simus, Corpus (quod multas considerationes subire potest) quatenus sanabile (id est secundum eum considerationis modum qui est de corporis sanabilis sanitate) est medicinæ objectum: Hujus explicatio fieri potest per relativa **QUI**, **QUÆ**, **QUOD**, v. g. homo quatenus capillos habet, crispus est, id est, qui capillos habet &c. utut fortè hæc explicatio non secundum omnia exempla videatur esse plena. Dicendum itaq; puto **QUATENU S** hoc loco in formali ratione objecti, utroq; modo sumi, tum ut notet subiectum (Spiritus) in se continere causam predicati, nimirum ut Spiritus sit objectum Pneumaticæ quia est lumine rationis cognoscibilis, tum ut significet certum modum & rationem secundum quam predicatum subiecto aliàs lato competat, nempe Spiritum esse objectum Pneumaticæ qui est lumine naturæ cognoscibilis. 2. *Abstractionis Pneumaticæ expositio* quam inquit Spiritus quatenus spiritus & lumine natura cognoscibilis, quam abstractionem secundum rem & rationem esse suadet veritas, quæ est illarum rerum, quæ in suo conceptu ita materiam non involvunt ut etiam illis prorsus repugnet. Et hæc sanè abstractio differt ab eâ quæ est secundum indifferentiam & propriè competit Metaphysicæ, quia hæc est abstractio secundum rationem tantum, quæ præcisiva dici solet. Hæc diversæ abstractionum species ineptè (ait Excell. Dn. D. Steph. Clotzius Præcept. & Prom: meus venerandus Disp. 1. Pneum. thes. 56.) à contrariæ sententiæ assertoribus confunduntur in unâ. Non itaq; argumentum eorum, quod ab abstractione contra existentiam Pneumaticæ adducebatur contra nostram disciplinam est, tum quod ratio distinctionis disciplinarum non sit pendenda ab abstractione, eo quod in unâ disciplinâ, exemplo sit Physica, diversæ dentur abstractiones, & à materia sensibili singulari, & ut ita dicam individuali, tum si ab abstractionibus (ex hypothesi illorum) diversitatis disciplinarum desumenda, alia sanè erit abstractio Metaphysicæ, nempe abstractio secundum indifferentiam & secundum rationem tantum, alia etiam Pneumatologiæ: est enim illa abstractio secundum rem & rationem.

5. Causa

30 *Causa prima Pneum. Deus est, secunda Philosophi.*

Quemadmodum à Deo in fieri, esse, & operari dependemus, ita merito, Deo nostro gloriosissimo locus primæ causæ tribuitur, qui igniculos residuos lucis primogenæ non tantum fovet & excitat in hominibus, sed & animat nonnullos ut sublimia quævis indagare & ex speculo mundi amplissimo & lucidissimo, unde etiam invisibilia manifesta sunt hominibus ita ut sint inexcusabiles, Rom. i. v. 19. 20. allaborent; ut merito ultra Sauromatas & glaciale Oceanum ablegandi sint illi qui nullam de Intelligentiis seu Spiritibus dari posse naturalem cognitionem asserunt, eo ipso non tantum *τεμπνεα* ignorantia suæ præ dispositionis manifestantes, sed & se homines esse, quia animam Spiritum non cognoscibilem esse naturaliter dicunt, negantes, Quin potius ex consideratione hominis evehimur, ut primo sciamus animæ nostræ spiritualitatem; quod si idiotas rerumq; omnium ignaros, quandoq; admiremur loqui vario idioma te, discurrere subtiliter, blasphemare &c. deducimur præter animam nostram in notitiam alius spiritus, ubi quum & hunc & istum finitum ex operationibus arguimus, mentem supremam & summam ex finitâ illorum dependentiâ agnoscimus. Philosophi dehinc *canfarum secundarum titulum merentur*, qui semper inquisitioni rerum divinarum plurimum tribuerunt, ut ut sub objecto alterius disciplinæ, vel etiam alio inquisitionis modo & genere. Inter quos merito præferendus miraculum illud naturæ Aristoteles qui sine dubio, cujus signa manifesta supra th. i. Cicero dedit, de divinis hisce rebus, intelligentias puto, pro more suo accuratè, subtiliter & methodicè scripsit, quæ injuriâ temporis, & incuriâ hominum ad nos, quod dolendum, non pervenerunt. Et ut ut forrè præter ea quæ 12. Met. & Ph. 8. de intelligentiis differit nihil (quod tamen non assero; superiores enim rationes aliud suadent, sed ex hypothesi saltim disputo) reliquerit, non puto tamen propterea hanc disciplinam non debere excoli, aut peculiariter tractari, quum, uti alias Viri Philosophi loqui solent: *ab autoritate Aristotelis negativè non procedat illatio*. Imo Aristoteles propterea forrè peculiariter de Spiritibus non scripsit, non quod objectum hoc ab aliis non sit diversum, sed quod pro suo judicio & beneplacito calei Metaphysicæ ob paucitatem, quæ tamen minimè distinctioni disciplinæ repugnat, hanc  
doctri-

doctrinam annexam voluerit. Salvâ itaq; autoritate tanti Viri, quem merito magni facimus, non verò adoramus, hanc disciplinâ & posse ob rationes datas, & debere, quod jubet res ipsa & veritas, peculiariter proponi, viti ante me judiciosissimi asserere non erubere. Huic annumerandi sunt *alij viri Philosophi*, qui intrepidè Aristotelis vestigia calcarunt, quorû catalogum prolixum recensere superfedeo, hoc saltem pro veritate oro, quod sicuti illis libuit & licuit tractatum de Spiritibus in aliâ disciplinâ exhibere, ubi tamen (quòd pace omnium, pro veritate exorans, dico) locus proprius non erat, ita & aliis hanc doctrinam seorsim in peculiari disciplinâ exhibendam studentibus, idè jus concessum sit, quod & *perit aquis, & jubet veritas.*

6. *Finis adequatus & primarius est, mentem contemplatione Spiritus perficere, secundarius aliis facultatibus & disciplinis inservire.*

Gloriam Dei tanquã ultimam metam quam omnes actiones nostræ ferire debent, minimè excludimus, quin potiùs præsupponimus: Cæterum *finis duplex esse potest internus*, qui in ipsâ disciplina obtinetur, *qui vel absolutus, vel respectivus*, ille est *Spiritus contemplatio & in se, & in attributis, & in modis contractionibus*, illic quid natura communis Spirituum sit & quæ ejus ratio inferens à priori, explicatur, *ibi* ejusdem attributa generaliter proponuntur, *hic* natura cujusq; Spiritus sub propriâ quidditate exhibetur: *hic* (nempe *respectivus*) qui respicit intellectum & ejusdem perfectionem cognitione Spiritus intendit. 2. *Externus*, qui ad extra in alias disciplinas fluit, & uti ille sufficit ad disciplinam constituendam Theoreticam, ita *hic* non est necessarius, quum non sit de natura scientiæ, influere in alias disciplinas vel facultates; *iste* est necessitatis, quod jubet objecti scibilitas, & intellectus paupertas, *hic* est utilitatis, quod suadet usus, quo se præsertim in Theologiam diffundit. Si enim eam partem Theologiæ, quæ circa *didascaliam* versatur ponderes, quam plurimum. Pneumatologia facit ad multas conclusiones explicandas; quid enim attributa divina sint, quomodo Deo tribuantur quomodo differant, quæ sint *εὐεργητικὰ*, quæ *ἀνευεργητικὰ* quæ absoluta, quæ respectiva & plurima alia quã necessaria sunt scitu Theologo. Si *resurrectionem*, quam Theologus dare debet, spectes, usus ejus longè uberrimus. Si Photinianus, ut fulcra heterodoxiæ suæ suffulciat neget dari notitias

B

natura-



naturales Dei, ratione; q; ex naturâ defumtas adducat, quod & in his & dissimilibus quaestionibus illis familiarissimū, unde nisi ex Pneumaticâ quæ pro notitia Dei naturali tanquam pro aris & focus pugnat, refutandus erit? Si idem Filium Jesum Christum esse Deum, & tamen à Patre dependentem asserat, ex hac disciplinâ convinci poterit; dependentia enim omnino negat Deitatem, uti inferius constabit. Si Calvinianus, eò quod Deus ad omnes res concurrat, dicat Deum esse autorem peccati, hîc habebit, tanquã in propria sedè responsio nem, idem si asseret horrendum decretum, hîc poterit refutari, idem si dicat proprio uno communicato, communicari omnia, habebit fundamentum distinctionis proprii communicabilis & incõmunicabilis. Pontificii, si sanctos invocãdos esse doceant ex hac naturali doctrinâ refutari poterunt, quæ invocationem religiosam cultum soli Deo deditum & debitum affirmabit. Plura adducere non licet, hoc saltem non prætereundum: Si cum Pagano, neganti esse Deum, res sit, utiq; cum non meliùs poterimus convincere, quam si ex naturalibus existentiam Dei, cujus probationis sedes hæc nostra propria est, asseramus, adeoq; viam nobis fruamus, ut deinceps dictamen Sacræ scripturæ perfractè negare non possit, sed illud nolens volens admittat. Si deniq; usum quem in *explicatione* plurimorum locorum, exferit respicias, longe se diffundit. Unum saltem adducam: quomodo per Deum vivamus, simus & moveamur, Act. 17. v. 28. quanta sit potentia Dei quæ excedit nostrum captum Eph. 3. v. 20. &c accuratè non novetis, nisi huc recurras, ubi quid sit providentia divina formaliter, quid item potentia, & quomq; se extendat, docetur.

Memb. 2.

De parti  
dione Pneu  
matol.

7. Pneumatologie partes dua sunt, una Generalis que contemplatur Spiritum sub ratione generali tum quoad essentiam, tum quoad attributa communia, que Spiritui per rationes à priori inferentes insunt; altera specialis que considerat modos contractiones seu quasi species Spiritus independentis, & dependentis, sub propria quidditate explicando cujusq; essentiam & attributa specialiter.

Constitutionem legitimam excipit adæquata disciplinæ partitio, cujus fundamentum est objecti representationis modus coram intellectu diversus, ita ut quotuplex is sit tot etiam sint disciplinæ partes. Quum  
vero

verò sub *duplici consideratione nostra disciplina sese representet intellectu*  
*trui, sub ratione, primò communiori essentia & attributa Spiritus pro-*  
*ponens, modos secundò contractiores* evolvens, hinc pars ejus duplex  
 constituitur, *Generalis & Specialis*, quam appellatione divisionis hæc  
 nostra disciplina ratione nominis quidem cum aliis disciplinis com-  
 munem habet, at non sub iisdem formalitatibus, unde diversitatis  
 modus relucet. *Generalis præter essentiam subjecti* quam hic exhibet  
 (non in loco proprio, supponit enim id præcognitum in superiori di-  
 sciplina, sed ne in ignota planè sylva versetur, & objecti naturam pla-  
 nè habeat in cognitâ, repetit ex superiori hæc & ad suum usum, qui pò-  
 tissimum ad demonstrandum rationes à priori postulat, reducit)  
 proponit etiam *attributa generalia & communia* tam *Spiritui Inde-*  
*pendenti quam Dependenti*, eaq; de objecto *per ea principia* quæ habet,  
 & h. l. est *Spiritualitas*, probat. Non enim uti superius probatū de ra-  
 tione scientiæ est ut semper habeat principia causalia, sed sufficiunt  
 principia non causalia, seu rationes inferentes à priori, per quas pro-  
 bentur attributa nec ea quidem realiter ab objecto diversa. Hujus ra-  
 tio est, quod id quod non est de formali alicujus, sed saltem de materia-  
 li ratione, minimè requiratur tanquam necessarium sine quo essen-  
 tia falsa esse non possit: jam verò principia esse causalia, affectiones  
 esse distinctas realiter ab objecto, nõ esse de formali scientiæ, eo quod  
 dentur veræ scientiæ, ubi tamen illa non sint, supra evictum est. *Pars*  
*specialis*, quæ & *propria* dici solet à consideratione Spiritum sub pro-  
 pria quidditate, per tractat *seorsim naturam Spiritus Independentis Dei*,  
 ejusq; *attributa* omnia quatenus quidem ratio objecti & modus co-  
 gnitionis nostræ permittit: & *essentiam Spiritus dependentis*, qui quò  
 sit juxta plerosq; *vel completus*, cujus *affectiones & operationes* exhibet  
 & *incompletus*, hujus quoq; expl. cationem (num iusto titulo, dubitant  
 alii, de quo C. B. D. in propria sede & loco laborabimus) & *ratione es-*  
*sentia Spiritualis & attributorum* sibi sumit.

Ποείο μαία.

1. *Formale Objecti disciplinam constituit, & ab aliis distin-*  
*guit aequatè.*


Constat id ex superioribus, imo consentiunt cum hoc confectario  
 omnes saniores Philosophi, quibus addo rationem. Formale enim,  
 cujusq;

ejusq; rei uti rem proprie ratione cognitionis, constituit, ita eandem ab aliis distinguit ad analogiã formæ Physicæ. Vix itaq; ac ne vix quidem distinctione legitimam disciplinarũ ab abstractione desumendã esse, permittit Veritas, quum abstractio Enti intrinsecè non det entitatem, sed tantum promoveat ejusdem notitiam, seu ut dicere solent, scibilitatem Enti communicet: abstractionis enim ad miniculo paulatim ad formalem rationem inveniendam & constituendam usi sumus ait *Fonseca 6. Met. c. 1. q. 6. s. 1. p. 53. lit. B.* Quum itaq; non constituat Abstractio objecti alicujus formalem rationem, quapropter nec ejusdem principium distinctivum adæquatam dici vult.

2. *Pneumatologiam objectum proprium ejusq; distinctio formalis ab aliis disciplinarum objectis evincit.*

Sic ex theorematis & priori potissime hoc fluit: *Quodcumq; enim objectum distinctum est ab aliarũ disciplinarum objectis per formalem ratione, ita ut ad nullam aliam disciplinam spectet, sit tamẽ objectũ ad disciplinam constituendam sufficiens, id peculiarem constituet disciplinam: Hoc nostre discipline tale est, quod ex inductione omnium disciplinarum patet: Metaphysica pertractat Ens quã Ens in ejusq; universali consideratione consistit, ἐπισκοπῆ γὰρ καθόλου πᾶσι τῷ ὄντι ἢ ὄν 4. Met. 1. & quidem ita ut minimè ad modum inferiorũ disciplinarum ἀπολεγενομένων μέγας πᾶσι τῷ ὄντι ἢ ὄν, καὶ θεωρούτων πᾶσι τῷ πᾶσι συμβεβηκός ibid. partialiter Ens contempletur, hinc γενικωτάτη alibi appellari vult. Physica Ens particulare nempe corpus quatenus corpus considerat. Mathematicæ disciplinæ circa magnitudinem, vel continuam, vel discretam occupantur, præter has itaq; danda erit scientia alia, in quã Spiritus ejusq; affectiones & modi contractiores proponatur, quæ illa ipsa est quã inquirimus, cujus sufficientiam (ratione subjecti) evincit paritas objecti Physici: Sicuti n. una species substantiæ ita & altera ejusdem species disciplinam constituet. *Disciplinarum verò multiplicatio & novitas non obstant: illa n. non fit præter urgentem rationem, hec vero ut sic non est suspecta, sed tum demum quando citra fundamentum parem assensum veritatis sum antiquitate postulat.* Et res salva est si distinguatur *in ser novitate quæ ἀληθῶς talis est, & cum verã antiquitate pugnat, & novitate quæ φαινομένως ratione cultura huic vel illi recens nato nova est; sicuti illa merito suspecta, ita minimè hæc quæ huic nostre convenit, ulli suspiciosa esse potest. Plura præscindit charta.**






verò sub duplici consideratione nostra disciplina se  
 cundum, sub ratione primò communiori essentia & at  
 ponens, modos secundò contractiores evolvens, h  
 constituitur, Generalis & Specialis, quam appella  
 nostra disciplina ratione nominis quidem cum a  
 munem habet, a non sub iisdem formalitatibus  
 modis relucet. Generalis præter essentiam subje  
 (non in loco proprio, supponit enim id præcogn  
 disciplina, sed ne in ignota planè sylva versetur, & o  
 nè habeat in cognitâ, repetit ex superiori hæc & a  
 tissimum ad demonstrandum rationes à priori  
 proponit etiam attributa generalia & communi  
 pendentem quam Dependenti, casq; de objecto per ea  
 & h. l. est *Spiritualitas*, probat. Non enim uti sup  
 tione scientiæ est ut semper habeat principia cau  
 principia non causalia, seu rationes inferentes à  
 bentur attributa nec ea quidem realiter ab objec  
 tio est, quod id quod non est de formali alicujus,  
 si ratione, minimè requiratur tanquam necessa  
 tia salva esse non possit: jam verò principia esse  
 esse distinctas realiter ab objecto, nõ esse de form  
 dentur veræ scientiæ, ubi tamen illa non sint, sup  
 specialis, quæ & propria dici solet à consideratio  
 pria quidditate, per tractat *seorsim naturam Spiritu*  
 e jusq; attributa omnia quatenus quidem ratio  
 gnitionis nostræ permittit: & essentiam Spiritus  
 sit juxta plerosq; vel completus, cujus affectiones &  
 & incompletus, hujus quoq; explicationem (num  
 alii, de quo C. B. D. in propria sede & loco labora  
 sentia Spiritualis & attributorum sibi sumit.

Ποσειδάων.

1. Formale Objecti disciplinam constituit  
 quæ adequatè.

Constat id ex superioribus, imo consentiunt  
 omnes saniores Philosophi, quibus addo ratio



the scale towards document

tello.  
 pro-  
 plex  
 hæc  
 om-  
 tatis  
 ibet  
 ri di-  
 pla-  
 po-  
 (cit)  
 nde-  
 abet,  
 le ra-  
 ciant  
 pro-  
 s ra-  
 teria-  
 essen-  
 ones  
 quod  
 Pars  
 pro-  
 s Dei,  
 s co-  
 quã  
 hibet  
 itant  
 ne ef-  
 istin-  
 ctario  
 enim,  
 njusq;